

præmissis, seu ad ea pertinentibus, factis vel faciendis (Cfr dicta p. 213) (1).

Cæterum de iis omnibus punctis adiri possunt Blanc : *C. d'Hist. eccl.*, leq. CXLIV, cum suis auctoribus; — Roncaglia et Mansi : *Animadvers. in Nat. Alex., sæc. xv et xvi*, t. XVIII (ed. 1740) p. 273-293; — Muzzarelli : *De Auctoritate R. Pont. in Conc. Gen.*, c. xviii, T. II, p. 362-457; — Litta : *Lettres sur les quatre art.*, l. XII-XIII; — Palma : *Prælect. Hist. eccl.*, t. IV, p. 1^a c. iv; — et alios jam indic.

APPENDIX X (ad n. 59, p. 222, not. 1).

UTRUM EPISCOPI AUCTORITATEM SUAM A DEO IMMEDIATE ACCIPIANT
AN MEDIANTE PAPA?

Ad hanc quæstionem jam ritè ponendam, hinc primùm eliminare est omnem opinionem quæ jurisdictionem aliquam sive particularem sive generalem (cfr suprâ, p. 209 not. 1) à Deo quoquo modo dari in *Ordinatione* assereret (V. p. 219; et cfr P. Laynez, S. J., in 1^a parte suæ celebris orationis in Conc. Trid., ap. Pallavicini l. XVIII, c. xv, n. 5, 6, itemque 14; et rursus in 2^{da} orat., l. XIX, c. vi, n. 6).

Hoc autem semoto, si adhuc quæreretur utrùm Episcopi, in *insti-*

(1) V. Christophe, *Hist. de la Papauté au XIV^e siècle*, t. III, not. 7, p. 483; et alios infrâ cit., atque imprimis Muzzarelli, § v. — Atque hinc certè videre est postea Eugenium IV in Instructionibus ad internuntios suos querentem quòd Patres, ut aiebant, Basileenses, qui nempe illa duo decreta Constantiensia contra ipsum, Papam nequaquam dubium, innovare attentaverant, « illa *extra terminos suos et ad alios casus quàm fuerat consuetudinis intentio*, extenderunt in magnum periculum monarchiæ ecclesiasticæ » (ap. Raynald., a 1436, m). Item et in Bullâ *Moyzes...* « sacro approbantè Concilio Florentino » propositiones conciliabuli Basileensis damnat « juxta pravum Basileensium intellectum veluti S. Scripturæ » et S. Patrum *et ipsius Constantiensis Concilii sensui contrarium* » (ibid. a. 1439, xxxi). — (Cæterum, quoad propriam auctoritatem illius quod quidam tam magnificè vocant SS. *œcumunicum Basileense Concilium*, satis erit observasse ipsum tunc temporis constitisse 5 vel 6 Episcopis et 7 vel 8 Abbatibus!... (Cfr. suprâ, p. 209 not. 3).

tutione sud, jurisdictionem suam à Deo *immediatè* accipiant, an *mediante Papâ*, jam, ingenuè fatemur, nihil ad hanc quæstionem respondere novimus, quippe quæ nullum nobis exhibet sensum. Auctoritas enim episcopalis non est *entitas* quædam realis quæ sive *immediatè* sive *mediatè* transmittatur. Nihil aliud est ac divina sanctio actibus illorum hominum promissa quos Papa in munus episcopale miserit. «... *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cælo; et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cælo* » : en tota auctoritas! Quid ergo ampliùs requiris? Ex unâ parte, sanctio illa nulli conceditur nisi ubi et quamdiu Papa illum episcopum esse voluerit; ex alterâ autem, Papa non potest non velle Episcopos esse in Ecclesiâ : hoc enim à Christo constitutum est (1). Omnes in his duobus admittendis consentiunt : ergo non videtur in quo reipsâ differant.

At, inquires, differant consequentiis : si enim *jurisdictio* non veniat à Deo nisi *mediante Papâ*, per Papam semper, sive ex toto, sive ex parte, auferri poterit, si non licitè, at certè *validè*, etiam *absque justâ causâ*; secùs, si detur *immediatè* à Deo (2). — Resp. : *Nego posterius*, proindeque nego consequentiarum disparitatem. Sive enim *jurisdictio* dicatur pendere à consensu Papæ tanquam *medio*, sive solummodò tanquam *conditione*, parùm refert; nunquam *validè* haberi, retineri vel exerceri poterit absque illo consensu. Et certè, si Deus dicatur *jurisdictionem immediatè* dare, ipsam ita dare indubiè dicetur quotiescumque Papa aliquem, *sive justâ de causâ, sive non*, instituerit in Episcopum; ergo pariter eam auferet (i. e., actus illius hominis sancire desinet) ubi Papa eum destituerit *sive justâ de causâ, sive non* (3). — Et secùs, omnis Ecclesiæ ordo in incertum abiret. — Ergo nihil reapse ad consequentias facere potest iste vel ille loquendi modus.

(1) Unde V. quæ observat cl. P. Palmieri : *Tr. de Rom. Pont.* Th. XIV, p. 381. — Cfr et quæ nos adnotavimus suprâ, p. 180.

(2) Ita Bouix : *De Episc.*, t. I. p. 60. Cfr et ipsum Pallavic., L. XIX, c. vi, versùs fin.

(3) Contra quosdam Auctores, quos V. ap. Bouix, ibid. p. 366-372. — Huc cfr dicta suprâ, p. 366.

APPENDIX XI (ad n. 62, p. 232).

QUENAM FIDES DEBEATUR ECCLESIE IN *factis dogmaticis*?

I — Multi theologi, post Bosuetium præsertim, fidem Ecclesie debitam circa conclusiones quasdam quas è revelato quidem principio sed mediante aliquo facto humano illatas ipsa nos credere jubet, utpote suæ existentiae vel missioni omninò necessarias (V. p. 231, 3º), non propriè *fidem divinam* nuncupari volunt, sed tantummodò *fidem ecclesiasticam*. — Multi, è contrà, alii illam vocant *fidem divinam*, saltem *mediatè*, utpote nixam in divinis ad Ecclesiam promissionibus (V. ap. Fénelon: *IIº Instr. pastor. sur le Cas de Conscience*, ch. XXI, 4º; t. X edit. Versal., p. 466 et ss.) (1): imò nec tantum quoad sensum verborum vel librorum ita loquuntur, sed etiam quoad legitimitatem Pastorum, in quâ certè factum humanum satis complexum necessariò intercessit (2).

Porrò nos quidemprimùm, cum Fenelonio (l. cit.), observabimus hunc vel illum loquendi modum satis parùm referre, et utrumque admitti posse, modò Ecclesia in iis verè infallibilis et proinde fides interna illic verè debita habeatur (3).

II. — Liceat tamen observare etiam, saltem ubi de sensu verborum vel librorum agitur (quod potissimùm sub nomine *factorum dogmaticorum* venit), priorem loquendi modum satis superfluum videri et nimiis subtilitatibus viam aperire natum: unde nos, Fenelonio duce, posteriorem duximus præeligendum. Secus enim, dicendum

(1) Cfr. et Mazzarelli: *Un fait dogmat. décidé par l'Eglise est-il objet de foi catholique?* inter *Opuscula*.

(2) Circa controversias inter theologos in hoc puncto emotas, V. Serry: *Hist. Congregationum de Auxiliis* (ed. 1709) l. V, s. V, c. IV, p. 836 et s., et alios auctores indic. ap. D. Puyol. *Edm. Richer...* T. I, p. 169.

(3) Inter theologos recentiores nimis in hoc molliter se gerere videtur Knoll (Alb. à Bulsano): *Institut. theol. dogm. gen.* § 240, ubi nimium movetur auctoritate Muratorii: *De ingeniorum moderatione in religionis negotio* (sub pseudon. Lamindi Pritanii), l. I, c. XIX et XX; de quo, licèt aliunde benè merenti, scripsit Bened. XIV: « Oh! quàm multa in ejus libris reperiuntur censurà digna!... » (Ben. XIV *Epist. pro Card. Norisio apologetica*. Opp. t. VI, P. III, p. 117).

esset non modò non in condemnatione libri alicujus sed nec in ipsa Propositionum condemnatione fidem propriè divinam deberi; siquidem non Deus ipse sed Ecclesia dixit hæresim verbis talium Propositionum exprimi. Unum nempe dixit Deus, talem talemve doctrinam, quibuslibet verbis exprimat, esse hæreticam; et Ecclesia infallibiliter declaravit doctrinam illam, v. g., exprimi verbis tum Quinque Propositionum, tum ipsius Libri qui Jansenii inscribitur. — Quomodo ferè Deus non ipse dixit Filium esse *consubstantialem Patri*, sed dixit Filium esse *unum cum Patre*, quibuslibet id exprimat verbis; et Ecclesia infallibiliter declaravit id optimè exprimi per verbum *consobstantialem*. Num ideò dicendum erit Filium cum Patre unum esse *de fide divinà*, consubstantialem autem *de fide ecclesiasticà*?... Jam certè in ambages immitteremur indefinitos.

III. — Quoad Bossuetium autem personaliter, certum videtur illum primò non admisisse infallibilitatem in factis dogmaticis divinitus Ecclesie promissam esse (V. illius *Lettre LII, au maréchal de Bellefonds*, et *LIII, aux Religieuses de Port-Royal*). Utrum postea admisserit, controvertitur (V., ex unà parte, D. Gosselin: *Hist. litt. de Fénelon*, 3º p. n. 49 et ss; itemque in addit. ad *Hist. de Fénelon*, par M. de Bausset (1850), t. III, p. 450 et ss.; D. Lequeux in addit. ad Picot: *Mém. pour l'hist. eccl. du XVIIIº s.*, t. VII, p. 485 et ss., rursusque, p. 498 (1); — ex alterà autem, V. eruditos artic. P. Gazeau, ap. *Etudes des Jésuites*, juill. 1875, mars et août 1876; avril 1877).

APPENDIX XII (ad n. 68, p. 252).

DE VARIIS MODIS QUIBUS STATUS CIVILIS SE HABERE POTEST RELATE AD RELIGIONEM, **et de liberalismo religioso.**

I

Potestas civilis, seu, ut dici solet, Status relatè ad Religionem et

(1) Ipse cæteroquin Fénelon pro ingenità suà animi generositate, Bossuetium ab hac labe defendere et tanti viri auctoritatem Jansenistis eripere conatus est pluriès; V. v. g., ejus opp., ed. Versal. t. XII, p. 221, t. XIV p. 289.